XPS

VALENTINA
PAROCHIALIS
DE TAVERNA
Sabbati 15. Decembris 1731.

Ordinarii Eccleſiaſtici Valentini Commiſſarii Apoſtolici Deciſsio.

AD pias preces Sereniſsimi Domini Jacobi Secundi Aragonum, Valentiæ, & Murciæ Regis, Monaſterii Beatiſsimæ Virginis Mariæ de Valledigna, Ordinis Ciſtercienſis, in hujus Regni Valle de Alfandech, Supremi Erectoris, Reverendiſsimus D. Fr. Raymundus de Pont, Valentinus Præſul, & Venerabile ſuæ Eccleſiæ Capitulum, Inſtrumento atteſtato à Hieronymo Julian, decimo Kalendas Februarii anni milleſimi terceutefimi primi, unicam tunc temporis, in dicta Valle de Alfandech, Parochialem Eccleſiam, ſub nomine del Rafol, in prædictum Monaſterium tranſtulerunt, per hæc verba: *Attendentes etiam, multa charitatis, & pietatis officia, & devotæ Religionis obſervantiam, quæ in eodem Monaſterio, per Dei gratiam, jam fieri incipiunt, & fient, auxiliante Domino, continuè in futurum; intuitu Dei & miſericordiæ in favorem Religionis, & Ordinis ſupradicti, & ad inſtantiam, & preces Sereniſsimi Domini Regis prædicti, concedimus, & donamus Monaſterio Vallisdignæ prædicto, & vobis Fr. Raymundo Abbati, & Conventui veſtro, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum, Eccleſiam Parochialem dictæ Vallis de Alfandech, cum ſuis juribus, primitiis, & pertinentiis univerſis; ita videlicet, quod per vos dictum Abbatem, & ſucceſſores veſtros, qui pro tempore ibi fuerint, nobis ad eandem Eccleſiam Clericus Sæcularis idoneus præſentetur, qui Vicarius ſit perpetuus ejuſdem Eccleſiæ.* Sed cum frequentèr

A res

res humanæ quotidiè in deterius prolabantur; nec Vicarius perpetuus, tractu temporis ali potuit portione, in dicta translatione, pro alimentis sibi assignata; nec Monasterium prædictum illi succurrere; quapropter hoc humilitèr supplicante, Reverendissimus Jacobus ab Aragonia Præsul etiam Valentinus cum ejusdem Capituli consensu, Instrumento attestato à Bononato Monarri diebus undecima, decima tertia, decima nona, & vigesima tertia Octobris millesimi tercentesimi sexagesimi noni, benignè annuit, ut in posterùm Cura Animarum dictæ Vallis, per unum ex Monachis ejusdem Monasterii, prævia Abbatis præsentatione, & ab Ordinario Ecclesiastico facta Collatione, administraretur; sub aliquibus tamèn conditionibus, inter quas, hæ in Instrumento leguntur: *Vos autem Abbas memoratus, & Conventus dicti Monasterii, & Successores vestri, teneamini solvere, & tribuere (vestris libertatibus, & immunitatibus, ac Monasterii, & Ordinis vestri, minimè obsistentibus, renuntiando quoad hæc, penitùs, & expressè pacto prævio) easdem procurationes, ratione Visitationis, debitas, & debendas, subsidia omnia, & gratuita servitia, & alia onera, ordinaria, & extraordinaria, imposita, & imponenda, sicut cæteri Curati Sæculares, in, & de Civitate, & Diœcesi Valentina impendere, solvere, & præstare tenebuntur. Etiamque vos Abbas prænominatus, & Successores vestri, de bonis, & juribus vestri dicti Monasterii, teneamini, dicto Monacho perpetuo Vicario, congruè providere in victu, & vestitu, & aliis omnibus suis necessariis, & modo eo, prout aliis Monachis vestri dicti Monasterii.* Crescente verò postmodum in hoc Regno Grege Dominico, cùm sub prædicta Parochiali Vallis de Alfandech, aucti fuissent plures fidelium, noviter Conversorum, Populi, nec unus sufficeret Pastor, auctoritate Apostolica in eodem territorio erectę fuerunt Parochiales in Locis de Taberna, Alcudiola, Masalali de la Ombria, Benifayrò, & Alfulell, & de Simat, imposita dicto Monasterio obligatione solvendi Parochis certam summam, unoquoque anno, & reservato in favorem ejusdem Jure Patronatus, & præsentandi Monachum, ab Ordinario Ecclesiastico instituendum, ut constat Instrumento attestato à Joanne Alamany die decima Decembris, anni millesimi, quingentesimi, trigesimi quarti. Cùm verò, viam universæ carnis ingresso die trigesima prima Decembris anni millesimi, septingentesimi, vigesimi octavi, Fr. Petro Joanne Ferrer, Vicario caruisset Ecclesia Loci de Taberna; comparuit in hac Curia Pater Franciscus de Perellòs, dicti Monasterii Syndicus, & libello diei tertiæ Junii, millesimi, sep-

ſeptingenteſimi, vigeſimi noni, declarari ſupplicavit, ſat eſſe ad regendam Curam Animarum, tàm prædictę Eccleſiæ Parochialis, quàm aliarum, in dicta Valle erectarum, quando Vicariis actualibus carere contigerit, nominari per Abbatem, unum ex Monachis prædicti Monaſterii, ad nutum illius amovibilem, qui prævia Ordinarii Eccleſiaſtici approbatione, Oves ſibi commiſſas regat, & paſcat, juxta ſalubre hujus Congregationis Ciſterciensis Regnorum Aragoniæ, & Navarræ Statutum, Pontificio Diplomate Sanctiſsimi Domini Gregorii Pappæ Decimiquinti, Romæ dato vigeſsima prima die Februarii anni milleſimi ſexcenteſimi, vigeſimi tertii, confirmatum; quin, ob non factam à dicto Monaſterio præſentationem, de perſona, in prænarrata, & aliis Vicariis, de cætero vacaturis Canonicè inſtituenda, ulla cauſetur devolutio; & ſervatis de jure ſervandis, proviſsione diei decimæ quintę Novembris ejuſdem anni declaratum fuit, omni, & meliori modo, prout ſupplicabatur, interpoſito Decreto hujus Curiæ in dictorum Vicariorum amovibilitate, tanquam Monaſticę diſciplinę; Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præcipuè illi Clementis Pappæ Octavi, quę incipit: *Ut ea quę*, expeditæ pro Ordine Ciſterſienſi, decima Martii, milleſimi, quingenteſimi, nonageſimi ſecundi, magis conformi. Sed Pater Vincentius Soler, ejuſdem Monaſterii Monachus, expreſsè profeſſus, Litteras Apoſtolicas in forma *dignum* Nobis commiſſas, & Romæ datas, apud Sanctam Mariam Majorem, tertio Kalendas Decembris, Incarnationis Dominicæ, milleſimi, ſeptingenteſimi, trigeſimi, impetravit, quibus jubemur, prædictam Vicariam Parochialis Loci de Taverna, illi authoritate Apoſtolica conferre, tanquam Sanctę Sedi reſervatam, quia hactenùs de illa diſpoſitum non fuerat, modo, forma, ac in tempore præſcriptis, in quadam perpetuò valitura Conſtitutione Sancti Pii Pappę Quinti, qua ſuæ, & Sanctę Sedis diſpoſitioni reſervavit quaſcumque Parochiales Eccleſias, de quibus dùm pro tempore, extra Romanam Curiam, occurrente vacatione, infra certum tunc inibi expreſſum tempus, juxta formam Concilii Tridentini, diſpoſitum non foret, irritum, & inane decernens, ſi ſecùs, à quoquam quâvis authoritate, ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Quibus Litteris nobis præſentatis, & facta ab eodem Patre Soler, pro Collatione inſtantia, die nona Januarii propè effluxi; comparuit poſtmodùm decima quinta ejuſdem, prædictus P. Franciſcus de Perellòs, nomine quo ſupra; &

suo libello, varia dictarum litterarum vitia, & in narratis suæ Sanctitati deffectus allegans, earum executioni sese opposuit, tanquam legitimus contradictor: Et mota lite inter eosdem Patrem scilicet Soler, & Syndicum Monasterii, nomine etiam procuratorio Patris Jacobi Crespo, dictæ Ecclesiæ de Taverna Vicarii, Instrumentis in ea editis, Testibusque ab utraque parte productis; inter ejus moras, alias reportavit Apostolicas Litteras dictus P. Soler, ad subsanandam falsam expressionem valoris Beneficii, in primis narrati, & deffectum expressionis supradicti Decreti hujus Curiæ, quo stabilita fuit temporalitas Vicariarum Vallis de Alfandech, à præfato Monasterio dependentium. Quibus Litteris confirmatur prima gratia, perindè, ac si ad illam obtinendam, una, & altera, erronea, ut supponitur, expressio, vel subpressio non intercessisset; sed illis, à Syndico Monasterii, & Abbatis, & Vicarii procuratore, varia opponuntur; & præcipuè, falso Oratorem expressisse, pro secundis Litteris impetrandis, errore ductum, primò fructus Beneficii narrasse, & stabilitam à nobis manualitatem dictę Vicarię tacuisse; cùm hæc omnia tempore primæ impetrationis non ignorasset, ut ex actis constabat. Quibus non ingratè animadversis, dubium est, an prædictæ Litteræ, sint exequendæ. *Verum attento:* Quod cum hęc sit impetratio Beneficii, certo modo vacantis, & ut reservati, & certus modus, sit etiam dispositivè conceptus, per illa verba: *Dudum si quidem Pius Pappa Quintus Prędecessor noster, &c.* (1), concludentèr probandus est ab impetrante, ut reservatio locum habeat, itaut, dicto modo non probato, penitùs gratia corruat, quin alia in præsentiarum possit capi vacatio, ex illa generali clausula (*Sivè præmisso, sivè alio quovis modo*) quam practici, & docti antiqui Curiales, in gratiam Oratorum invenerunt (2): *Attento* deindè: Quod cum modus narratus à dicto Patre Soler, vacationis Beneficii tempore impetrationis, eo quod provissum non fuerit, modo, forma, ac tempore præscriptis in Concilii Tridentini Decreto, & Piana Constitutione, incipiente: *In conferendis*, trigesima tertia in Bullario; nec probatus sit, nec probari possit, cum reservatio dictę Constitutionis non comprehendat controversum Beneficium; nec forma in Tridentino stabilita, in eadem sibi vendicet locum, necessariò fatendum est, illud non posse dici vacans, & reservatum, quia collatum non fuit, modo, forma, & tempore, in dicta Constitutione contentis. Quod autem prædictum Beneficium, in Conci-

lia-

(1) Rosa *de execut. lit. Apostol. part. 1. cap. 5. num. 6. 7. & 8.*

(2) Rosa *ubi supra, num. 30.*

liari ordinatione, & Piana Constitutione non comprehendatur, patet, quia Beneficia, Monasteriis, Collegiis, aliisque piis locis unita, nec comprehenduntur in capite decimo octavo Sessionis vigesimæ quartæ de reformatione Sancti Concilii Tridentini; nec in dicta Constitutione trigesima tertia Sancti Pii Quinti; sed in quadragesima septima ejusdem Pontificis, incipiente: *Ad exequendum*, qua, quid faciendum sit, in Parochialibus, unitis Monasterio, & quomodò de Parocho provideri debeat decernitur (3). Parochialis verò de Taverna unita est Monasterio Vallisdignę, cum pars sit, & accessio illius antiquæ Vallis de Alfandech, ut constat Instrumento erectionis in Parochialem suprarelato; & de unione primævę Parochialis dictæ Vallis hæsitari non potest, ita clamante Scriptura donationis prædictæ Ecclesię in favorem Monasterii, initio relata. Quid enim aliud, nisi præfatam unionem, importare possunt verba illa: *Concedimus, & donamus Monasterio Vallisdignæ prædicto, & vobis Fratri Raymundo Abbati, & Conventui vestro, vestrisque Successoribus in perpetuum, Ecclesiam Parochialem dictæ Vallis, cum suis Juribus, primitiis, & pertinentiis universis*? Quid aliud, obligatio imposita Abbati, nominandi Personam idoneam, non ut Rector, sed ut Vicarius instituatur? Quid aliud, alia similis obligatio, in secundo Instrumento supra relato, imposita eidem, congruè providendi Monacho Vicario in victu, & vestitu, & aliis omnibus suis necessariis, & eodem modo, quo aliis Monachis dicti Monasterii? Quid denique aliud, huic imposita obligatio, solvendi easdem prucurationes, ratione Visitationis, debitas, & debendas, subsidia omnia, & gratuita servitia, sicut cæteri solvunt Curati Sęculares? Unde dicta Ecclesia Parochialis antiqua, totumque suum Territorium, vi hujus donationis, effecta fuere quasi prędium ipsius Monasterii, quod in illo fundatam habet intentionem, & onus probandi integram, & totalem dismembrationem hujus, de qua agitur, Loci de Taverna, à Parochiali primęvæ Ecclesiæ Vallis de Alfandech Monasterio unita, refunditur in impetrantem. Sed adhuc respectu hujus, post erectionem in Parochialem, juxta Instrumentum supra tertio relatum, remanent signa, unionem perfectè comprobantia. Primum, ad dignoscendum, quando talis unio censeatur facta principaliter inspicitur, penes quem resideat universitas bonorum, ac Jurium Ecclesiæ illorum pręsertim, quæ sunt magis propria, & peculiaria Juris Parochialis, ut est Jus percipiendi decimas; si

enim

(3)
§.4. *dictæ constitutionis*: Volumus insuper, & ita mandamus, quòd dicti Vicarii perpetui, non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum pręvio examine, approbatione deputentur.

§. 5. Et si dictæ Parochiales unitæ erunt Monasteriis Regularium Mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si Ordinarii, prævio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint; teneantur in Vicarios ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles deputare. Idemque etiam servetur in Regularibus Monachis tantùm; dummodò in ea Parochiali, in qua unus ex Monachis fuerit servata forma prædicta Vicarius deputatus, habitent cum eo, saltèm quatuor alii ex dictis Monachis.

(4)
Deluca *de Parochis, disc. 10. num. 6.*

(5)
Rota *decisione 9. num. 9. cum sequentibus, part. 10. recent.* Fargna. *de jur. patronat. part. 5. can. 9. cas. 2. num. 6.*

(6)
Rota *in Compostellana Parochialium* 13.*Mar.*1716. coram Ansaldo Gonçal. *ad regul. octavam*, *glóss.* 5. §. 3. *num.*60. Fargna. *ubi nuper*, *num.*7.

(7)
Rota *in Salisburgen. Vicariæ super bono jure*, 4.*Februarii* 1715. §.*his additur coram Chrisp.*

(8)
Rota coram Herrera *in Leodien. Vicariæ* 23. *Januarii* 1719. *num.*5. *post Fargna. part.*6.

(9)
Rota *ubi supra.*

(10)
Deluca *de Parochis*, *disc.*10. *num.* 8. Fargna. *part.*5. *can.*9. *cas.*2. *num.*19. Rota *ubi supra*, *ex num.*11.

(11)
Rota *in dicta Salisbur.Vicariæ,num.*6. *post Fargna. decis.*1.*part.*6.

(12)
Trident. *sess.* 7. *cap.* 7. Beneficia Ecclesiastica curata,quę Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumqu- perpetuò unita, & annexa reperiuntur,ab OrdinariisLocorum annis singulis visitentur: qui solicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, *etiam perpetuos*, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori, vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda ibidem deputando, animarum cura laudabiliter exerceatur: *& hæc deputatiò Vicarii temporalis fieri potest extra visitationem.* Castropalao *tract.* 13. *disp.* 6. *punc.*12. §.3. *num.*8.

(13)
NOS DON FRATER BRUNO DE Salcedo Henriquez de Navarra, Abbas Regii Monasterii Virginis Vallisdignæ, Prior Montis Sancti Ordinis Cisterşiensis,&c.

Cum magnopere expediat Animarum saluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari, & nostri muneris sit in Parochialibus Ecclesiis, nostro Monasterio unitis,Vicarios temporales, per quos Animarum Cura, juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, salubriter administretur deputare, ut diffinitione, Statuto nostræ Congregationis Cistesiensis, Pontificio Diplomate Gregorii fœlicis re-

enim hæc universitas, residet pęnes eum, cui unio facta prętenditur; tunc rectè intrat regula; quoniam penes ipsum rectè dicitur residere Cura, seu Jus Parochiale, ita residente penes alterum nudo exercitio, secùs autem è converso (4); & in occurrenti constat ex actis, & est inter partes in confesso, Monasterium percipere decimas, & primitias Territorii pertinentis ad prędictam Ecclesiam de Taverna, non obstante erectione in Parochialem. Secundum signum unionis permanentis, adhuc post dismembrationem à primęva Parochiali est, quod nec hęc, de qua controvertitur, nec ulla alia, ex filialibus Matricis Vallis de Alfandech, in dismembrationis Instrumento contentis, provissa sit hucusque per concursum, sed ad nominationem Abbatis, & Monasterii, quod secùs esset, si hoc in illis tantùm Jus Patronatus haberet Ecclesiasticum, vel tot Ordinarios redarguere deberemus de supina oscitantia, & inexcusabili contraventione Conciliari Tridentini Statuto (5). Tertium, nullam reperiri provisionem Apostolicam hujus Ecclesię de Taverna, tanquam vacantis in mense reservato, nec illius primitivæ Vallis de Alfandech, nec aliarum ejusdem Parochialium, quando verosimile non est, in tot seculorum decursu, aliquoties, in mense reservato non vacasse; hujusmodi namque negativa provisionum Apostolicarum ob reservationem mensium, vehementer concludit affirmativam unionis (6). Nec huic conceptui refragari videtur idem Pater Soler; cum in narratis Sanctissimo expressit, Ecclesiam Loci de Taverna, seu illius perpetuam Vicariam, à prædicto Monasterio *dependere*, & Parochiales ab integro dismembratę, non dicuntur dependentes à Matrice, nec eorum Rectores, Vicarii appellantur; sed sub hac denominatione, Cura tantum actuali pollentes, indigitari solent (7). Ultimò verò, ut alia omittamus, signum est non integræ dismembrationis, onus Matrici Ecclesię adjectum præstandi congruam Vicario de Taberna; ex hoc enim validissimum resultat argumentum circa subjectionem dictæ Ecclesię, & residentiam Curæ habitualis penes Monasterium, cum hoc, nullo jure ad hujuscè congruę præstationem teneretur, si Ecclesia controversa, effecta fuisset Parochialis libera, & independens, cum totali separatione ab Ecclesia Matrice (8). Et ita videntur intellexisse antiqui Patres Capitulares Congregationis Cisterciensis, quando Statuto expresso ordinarunt, Vicarios dictarum Ecclesiarum fore in posterùm ad nutum Abbatis amovibiles, impetrando ad hoc Pontificiam approbationem, quod mi-

minimè statuissent, considerando prædictas Ecclesias, independentes à Monasterio, & penes hoc, Jus tantùm Patronatus Ecclesiasticum. Nec tam facile Pontificiam consecuti fuissent approbationem Statuti. Nec obstat in prædicto Instrumento dismembrationis legi verbum illud: *Dismembramus*; quia non debet considerari, tamquam de plenaria, absoluta, ac ad omnes, & quoscumque effectus dismembratione; sed solumodò de requisita, ad consulendum necessitati Parochianorum, & nè adimpleretur Divinum illud: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; cui necessitati, quemadmodum satis superque succursum remanebat per dismembrationem solius Curæ actualis, salva, firmaque permanente, Cura habituali penes Matricem; ita illa sublata, ex dismembratione Curæ actualis, deventum fuisse non censetur ad totalem plenariamque dictarum Vicariarum dismembrationem, quæ remedium dicitur prorsus extraordinarium, & in subsidium unicè admittendum (9). Non obest ulterius quod in dicto Instrumento ii, quibus Cura Animarum committitur, dicantur Rectores, & Monasterio reservetur Jus Patronatus, ex quo videtur inferri integra, & totalis dismembratio, cum hoc, quod quasi species quædam servitutis consideratur, in re propria consistere non posit, ex vulgari principio, quod nemini res sua servit. Quia in dicto Instrumento, jam Rectores, jam Vicarii appellantur, ut legitur, ibi: *Cum hoc, quod Vicarius dictæ Ecclesiæ de la Alcudiola, &c.* & hæc est una, ex erectis in Parochialem. Deindè, quia aliquando, Vicarii, Rectores nuncupantur, cùm hæc denominatio, licèt impropriè, verificari posit circa exercitium Curę actualis, & voces præsentationis, & nominationis, sicut Jus Patronatus, & Jus nominandi, haberi solent pro Synonomis, ac promiscuè adhiberi (10). Nec è re est, in Instrumento unionis primævæ Ecclesiæ Parochialis Vallis de Alfandech non legi verba illa: *Pleno jure*; quia his æquipollent alia: *Cum suis juribus, primitiis, & pertinentiis universis.* Et licèt daremus, absque præjudicio veri, non fuisse unionem subjectivam in spiritualibus, sed tantùm in temporalibus, adhuc sat hoc esset, ut prædicta Ecclesia, & cæteræ illius filiales, non comprehenderentur sub prædicta Piana Constitutione trigesima tertia, sed sub quadragesima septima (11). Ex his concluditur, modum vacationis, à dicto Patre Soler narratum, comprobatum non esse, nec Parochialem Ecclesiam, utpotè Monasterio unitam, morte ejus Vicarii vacasse, nec providendam esse juxta formam Concilii Triden-

cordationis Papæ XV. vallato, & Curiæ Ecclesiasticæ Valentinæ Decreto munito, cautum est. Ideò, plurimum in Domino confidentes de idoneitate Patris D. Fratris Jacobi Crespo, nostri Monasterii Monachi, expressè professi, illum in Vicarium temporalem, ad nutum nostrum amovibilem Ecclesiæ Loci de Taberna, eligimus, & designamus, dantes ei, & concedentes, liberam, & plenam facultatem, Divina Officia, & Parochiales functiones celebrandi, Sacramenta ministrandi, & alia onera, & munia obeundi, quę Animarum quilibet Parochus obire, & præstare solet, prævia tamen, & non aliter, nec aliàs Ordinarii Ecclesiastici Valentini approbatione. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, hujus Monasterii Sigillo munitas, & per infrascriptum Secretarium referendatas, expediri jussimus. Datis in prædicto Monasterio, die nono Januarii, millesimo, septingentesimo, trigesimo.

Fr. Bruno de Salcedo, Abbas Vallisdignæ.

Locus ✠ Sigilli.

De mandato Domini mei Abbatis.
Fr. Paulus Vallejo, Secretarius.

Registrata in Libro Diversor. Curiæ Ecclesiasticę Valentinæ de anno millesimo, septingentesimo, vigesimo nono, sub die undecimo Novembris, recondito in Archivio dictæ Curię Ecclesiasticæ.

Ita est.
D. Baptista Vives, Notarius Apostolic. pro Archiv.

(14)

Clemens Papa Octavus ad perpetuam rei memoriam. Ut ea, quæ pro Ecclesiasticarum personarum quarumlibet, præsertim Regularium, quietè, & tranquillitate statuta, & declarata sunt, debitæ executioni demandentur, ex injuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, prout conspicimus in Domino expedire, providere debemus. Sanè dilecti filii Generales, & Abbates Congregationis Regularis Observantiæ Sancti Bernardi Cistersiensis Ordinis Regno-

rum

rum Hispaniarum nobis nuper exponi fecerunt: quod cùm aliàs per Congregationem Sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum, declaratum fuerit :::: Ac in Parochialibus Ecclesiis alicui Monasterio unitis, quibus per Sæculares Sacerdotes, & Ministros deservitur (*cùm examen per concursum, minimè instituendum sit*) in ipsis unitis Ecclesiis constitui oportere Vicarios idoneos perpetuò, vel ad nutum amovibiles, ab Episcopo approbandos, à prędectis tamen Monasteriorum nominandos :::: *In illis verò Parochialibus Ecclesiis unitis, quibus per Regulares Monachos deservitur, Monachum eisdem Ecclesiis Vicarium pro tempore præficiendum, non aliter debere constitui, quàm ad nutum suorum Superiorum amovibilem; ab Ordinario tamen, prævio examine approbatum cum portione arbitrio suorum Superiorum assignanda*: qui Monachus ibidem una cum alio Monacho dumtaxat habitare debeat: in illis autem Parochialibus Ecclesiis, non unitis, quæ sunt juris patronatus Ecclesiastici, examen utique per concursum esse peragendum ::::: Quare generalis Reformator, & Abbates prædicti, nobis humiliter supplicare fecerunt, quatenus supradicta, prout decreta sunt approbare eaque omnia ab omnibus inviolabiliter observari mandaremus. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati decreta, & ordinationes hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, eaque per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, & alios Locorum Ordinarios inviolabiliter perpetuò observari debere statuimus, & ordinamus decernentes sic, & non aliter per eosdem, & alios quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam, & :::: Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Maii anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo.

dentini; nec denique, ob non ita factam provisionem, Sedi Apostolicæ reservatam mansisse, & licèt vacaverit Cura actualis, nulla in illa considerari potest devolutio, cùm intra terminum legitimum, authoritate ordinaria, à Sacra Tridentina Synodo, Præsulibus Ecclesiasticis concessa (12), effecta fuerit manualis prędicta Vicaria, & de Vicario temporali provisum ab Abbate (13), ut fieret satis Constitutionibus Apostolicis prædictorum Summorum Pontificum Pii Quinti, & Clementis Octavi (14), bono status Monastici, & spirituali Parochianorum Curæ. Quibus, & aliis sedulo inspectis, venit, ut infra declarandum. Ideò, & aliàs, justitia sic suadente, Pronuntiamus, Sententiamus, & Declaramus, instantiam factam per dictum Fr. Vincentium Soler, pro dictæ Vicarię collatione, de jure non procedere, nec justificatam manere; repellendamque fore, & esse, ut cùm præsenti repelli jubemus; ac dictarum Litterarum Apostolicarum executioni locum non esse Declaramus: & neutram partem in expensis Condemnamus. Quod ita Pronuntiamus, Sententiamus, & Declaramus, non solum præmisso; sed omni alio, & meliori modo quo possumus.

D. Josephus de Rius, Vic. Gen.
Judex Delegatus Apostolicus.

Lata, lecta, & publicata fuit hujusmodi sententia, de provisione, & mandato Admodum Reverendi Domini Vicarii, & Gubernatoris Generalis Valentini Judicis Delegati Apostolici die XV. Decembris M. D. CC.XXXI. manè hora Audientiæ, per me Dionysium Diego, Notarium Apostolicum, Actuarium Primarium hujus Curiæ Ecclesiasticæ, instante, & supplicante Fr. Francisco de Perrellòs, Presbytero, Monacho Cisterciensi, nominibus quibus in causa: Præsente Doctore Bonaventura Soler, Canonico Ecclesiæ Collegiatæ Civitatis Sancti Philippi, anteà Setabis, Procuratore Fr. Vincentii Soler Presbyteri, Monachi dicti Ordinis partis alterius: Præsentibus ibidem pro testibus, Doctore Francisco Gisbert Presbytero: Vincentio Gaspare de Salafranca: Francisco Barco: Michaele Hieronymo Martin: Timotheo Gibertò: & Gaspare Dominico Devesa, Notariis publicis, vicinis Valentię, & aliis quam plurimis. Recepit Dionysius Diego, Notarius Scriba.

Registrata in Libro Sententiarum Curiæ Ecclesiasticæ Valentinæ dicti anni, sub dicto Kalendario.